Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31625
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

e theodio meredia[ce]n[se] ceco.
e desiderio energumino.
e homine manum contractam habente.
e Remigia matrona.
e uinaste ceco.
e homine omnibus membris contracto.
e paralitico sanato.
e piolo sanato muto.
e muliere ceca.
e duobus cecis.
e muliere muta.
e alia muliere debile.
e oleo ad sepulchrum eius crescente.
e leomere contracto.
e clerico ceco.
e carcerarius dimissis.
e pignoribus que leodoualdus episcopus detulit.
e energumino sanato.
e puella muta.
e id quod aridius presbyter pro benedictione portauit.
e Sidulfo manco.
e ceco illuminato.
e manu hominis contracta.
e puerulo suscitato.
e ceco illuminato.
e duobus pueris sanatis.
e claudio directo.
e contracto que bos trahebat.
e alio qui manus ac pedes contractos habebat.
e alio qui contractum brachium detulit.
e ceco illuminato.
e edis intericis.
e alio ab humore graui sanato.
e exsinse redintegrato.
e puella lixouiense ceca.
e puero manum contractam habente.
e muliere que contractis in palma digitis uenit.
e alia que diu in festo beati iohannis operabatur debilitata.
e alio ceco et contracto.
e alia muliere que post ingenuitatem est uendita.
e oculorum et capitis mei dolore.

Incipit prologus de miraculis sancti Martini

VOLUMINIS primi prescriptis uirtutibus sancti martini quas uidimus uel a fidelibus uiris acto tempore reperire potuimus, ardentes in hac siti ualde ut non tradatur obliuioni quod dominus exercere dignatur in laudem antistitis sui, Martinum cupimus que nostro tempore agi miramur, relinquentes paruam materiam eloquentioribus, sumentes autem magnalia uirtutum inertis operibus, ut quod peritia non dilatat in paginis, numerositas uirtutum extendat in cumulis. Cap. I. Sic decretis

Anno centesimo septuagesimo secundo post transitum beati martini antistitis, Sigiberto gloriosissimo rege duodecimo anno regnante, post excessum sancti Eufronii episcopi, non meo merito cum sim teterrimus conscientia et peccatis obuolutus, sed tribuente fideli deo qui uocat ea que non sunt tamquam que sunt, ordinatus episcopatus indignus. Mense autem secundo ordinationis mee cum essem in uilla, incurri disenteriam cum febre ualida et taliter agere cepi, ut imminente morte uiuere omnimodis desperarem. Et intercludebantur assidue digestionum officia, que non accipere poterat inexpensa, et erat horror cibi, cum abiret uirtus stomachi. Febris tantum erat uictus corporis. nam nullatenus accedebat confortatio sumptuosa. Erat autem et dolor grauius totam aluum penetrans et descendens ad ilia, non me minus consumens tortura sua quam febris exegerat. Cumque sic ageret mecum, ut non remansisset spes uite, sed cuncta deputarent in funere, nec ualeret penitus medici antidotum quem mors mancipauerat ad perdendum, ego ipse de me desperans uocaui armentarium archiatrum et dico ei. Omne ingenium artificii tui impendisti, pigmentorum omnium uim iam probasti, sed nichil proficit perituro res seculi. Unum restat quod faciam, magnam tibi tyriacam ostendam, puluerem de sacratissimo domni martini sepulchro exhibe et exinde michi facito potionem. Quod si hoc non ualuerit, amissa sunt omnia euadendi perfugia. Tunc misso diacono ad antedictum beati presulis tumulum de sacro sancto puluere exhibuit, dilutumque michi porrexit ad bibendum. Quo hausto mox omni dolore sedato sanitatem recepi de tumulo, in quo tam presens fuit beneficium, ut cum id actum fuerit hora tercia, incolomis procederem ad conuiuium ipsa die ad sextam. Visum est et hec inserere lectioni qualiter me deus arguerit, ne ante me per inuitem stultos de beatis sollempnibus obtrectare. In festiuo autem postquam conualui die dominico ad missam ueniens, nolens me fatigare, uni presbyterorum gloriosa sollempnia celebrare precepi. Sed cum presbyter ille nescio quid rustice in sacris uerbis depromeret, multi eum de nostris irridere ceperunt dicentes, melius fuisset tacere quam sic

174